

vulgari homiuum voce. Etsi non à semine duxissent,
 à lacte suxissent, à consuetudine tamen attraxissent hunc
 affectum. Verè igitur, ut dicam, gens facta ad virtutem,
 quā cæteras orbis terræ gentes vincebant: certè vicerunt.
 Licet interdum vici:, nec vici:, dejecti non mox cade-
 bant, nec distracti cedebant, sed se invicem concita-
 bant, & in mutuos usus conspirabant. Quicquid ad a-
 nimos moresq; colendos, aut honestè oblectandos face-
 re videbatūr, id fecerunt R O M A N I. Quicquid ege-
 runt, peregerunt: quicquid conati, venati. O verè ma-
 gni Romanorum animi, quia genus suum atque etiam
 gentem illustrarunt. Utinam Germani sic ad alta assur-
 gerent, & magis foverent honestum illum ignem semel
 accensum: utinam sidera illa sequerentur minora astra :
 nec sudoribus mox fatigati, & laboribus fracti. O illu-
 strem R O M A M , his, ut sic dicam, sideribus, quę non
 splendore generis solūm, sed luce propriā virtutum vel
 laudum micabant. Meritò igitur amamus veterem illam
 R O M A M , tot ingeniorum, artium, virtutum , vel
 Matrem vel sedem. Iam herclè non versamur inter aqui-
 las, sed struthiones & marinos passeris, qui curriculo,
 ut ille ait, volant. O hanc curam laudabilem , & maxi-
 mè, quia cum modo & temperie fuit, quod nec omnes
 passim se darent, nec minus etiam darent. Non omnes,
 sed Primores , & qui vel erant in Republ. vel ad eam se
 præparabant. Alii plurimi arabant, screbant, metebant:
 convivia, conjugia inibant, liberos gignebant , educa-
 bant, omnia securè , & nec auribus quidem læsis rumo-
 re belli. O pulchras & salutares has curas , & quibus cul-
 tum & politum nostrum hunc orbem vellem! ô utinam
 imitarentur, etsi non æmularentur! ô sic semper, ô ma-